Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

Hoc nomen tenebre remotiue non positiue dicitur hic

Non uidetur posse stare quod dicit magister quia ea que dicta sunt secundum eum non uidentur esse de operibus prime diei. Solebat dicere quidam quod deus antequam faceret diem fecit quandam morulam obscuram. et illa fuit pars diei. sed dies dicitur ad illam que est claritas. et ideo bene intitulat magister. Alii dicunt quod fecit quandam nubeculam claram et lucidam. que optinet uicem solis que fuit creatus postea tercia die et dicunt quod predicta sunt creata in illa obscura morula. et ideo sunt de prima die. Nos autem dicimus quod magister bene intitulauit. quia per lucem eo quod dies dicitur ad illam quod est claritas. sed de illa morula obscura non concedimus quod fuit pars prime diei. quia ille dies fuisset maior quibus diebus quia sic monstratur. illa obscura morula fuit secundum eos pars et postea lucida nubecula facta est in oriente uicem solis obtinens. que mouebatur de oriente in occidentem. et tantum procedebat in oriente quantum temporis consumebat quantum nunc consumit sole sic eunte. quantum temporis erigebatur ad eius reuolutionem quantum erigitur ad spatium diei naturalis. et preterea illa morula erat pars diei. quia ille dies fuit maior quibus diebus quod falsum est.

Terra autem erat inanis et uacua. id est machina mundi alius erat adhuc inutilis et non fructuosa. et uacua ornatu suo. et tenebre erant super faciem abyssi. Eandem machinam quam terram dixerat abyssum uocat propter confusionem et obscuritatem unde et grecus chaos eam uocat. quod uero tenebre dictum est. tenebre erant. quidam docmatizauerunt tenebras fuisse eternas que iam scilicet cum mundus fieret erant aliud irridentes deum ueteris testamenti dicunt eum prius creasse tenebras quam lucem. sed tenebre nichil aliud sunt nisi absentia lucis obscuritas autem quedam aeris a deo creata est. et dicta tenebre. unde et in catalogo creaturarum deum laudantium dicitur: Benedicite lux et tenebre domino. et spiritus domini. id est spiritus. Diuina uel domini uoluntas ferebatur super aquas. sicut uoluntas artificis habentis pre oculis omnem materiam domus faciende. super illam fertur dum de quo quid facturus sit disponit. predictam machinam aquas uocat. quasi ductilem materiam ad operandum creatorem. Ideo uero sic uariantur nomina eius. ne secundum unius elementi nomine tantum censeretur. illi magis putaretur accomoda. hebreus habet pro super ferebatur incubabat. uel syra lingua fouebat. sicut auis oua. in quo est cum regimine nascentis mundi notatur initium. hunc locum male intellexit plato dictum hoc putans de anima mundi. sed dictum est de spiritu sancto creante. de quo dicitur. Emitte spiritum tuum et creabuntur.

dicere dixit: id est dicitur generatione uerbi uel locutio dei effectu. quod est dicere. Deus dicere. sunt dispositio uerbi in mente...

De opere primi diei.

Dixit quoque deus. fiat lux. et facta est lux. id est uerbum genuit in quo erat ut fieret lux. id est tam facile ut quis uerbo uocat lucem tam facile fecit lucem. et iterum sic. quam lucem uocat nubem quandam lucidam illuminantem superiores mundi partes. claritate tamen tenui. ut diluculo fieri solet. et hec quomodo solis circumagitata presentia sui. superius hemispherium et inferius uicissim illuminabat. Per fiat intelligitur essentia lucis in deo prius quam fieret. per facta est essentia eiusdem in actu. scilicet cum per ducit ad esse. Et uidit deus lucem quod esset bona. id est que placuerat in prescientia ut fieret. placuit in essentia ut maneret. uel tropice uidit. id est uideri fecit. et diuisit lucem a tenebras. Hic incipit dispositio et tamen aliquid dicitur de creatione. Q... cum